

† R. P. Eduardus Pechazek (1886-1953)

(Prov. Austriacae)



Brixinae (Brixen seu Bressanone), in urbe episcopali apricae Tirolidis Meridionalis, confrater noster die 9 Febr. a. 1886 natus et sequenti die baptismate renatus a matre benigna, pia, Dei praeceptis fidei custodiebatur et ob hilaritatem, versatilitatem, vivacitatem animi puerilis parentum cura simul et gaudium erat. Gavisus esset pater, si filius, quam ipse colebat, artem horologificis addidisset, sed Deus in cor pusionis dedit vocationem sacerdotalem et missionalem. Per annos, quos primum in schola primaria et gymnasio Brixinensi, deinde in iuvenatu nostro Katzelsdorfensi peragebat, puer alacer atque omnibus amicabilis socius, nemini non carus erat. Propter debilitatem pulmonum per complures annos non ad noviciatum admissus, iam partem studiorum academicorum ante tirocinium perfecit; tandem a. 1908 in noviciatum receptus et a. 1910 sacerdotio ornatus est. Occasione huius diei festivi pater horologium filio donavit verbis: « Si vita tua sacerdotalis non minus accurate progreditur quam hoc horologium, in regno Dei multa praestabis ».

Exinde vitae missionali attribuitur eique ininterrupte fidelis permansit, dum vires senem defecerunt. Praeter exercitia spiritualia et alios labores P. Pechazek 493 missionibus cooperatus est, quarum maior pars fuit in oppidis et vicis patriae Tirolensis, ita ut in aliquibus locis ter aut quater missioni interfuerit. Omnes suggestus, in quibus verbi Divini praeco fuit, numerum 4.000 (!) excedunt.

Sermones suos, argumento graves et forma, praesertim divisione, populares semper primum delineabat, deinde ad verbum scribebat, sed, quod dolendum est, siglis sic dictis stenographicis sibi peculiaribus, ut heredes harum divitiarum homileticarum lectioni multum temporis et operae impendere debeant. Fasciculus sermonum etiam in lucem prodiit sub titulo *State in fide*; alios sermones in periodico « Haec loquere et exhortare » publicavit. Praeterea compluribus annis etiam in periodico dioecetano Graeciensi socius et administer erat.

Postquam primo bello ut capellanus militaris cum militibus suis laeta duarumque divisit, graviter tulit, quod bello finito Tirolis Meridionalis ab Austria segregabatur et cum regno Italo uniebatur. Sed vocem temporis vocem Dei aestimans in domo Italica hanc linguam discebat et iterum totum se operi apostolico dedit. Etiam multi laici magni pendebant, hunc capellanum militem, qui alta pulchraque sua statura et moribus suis iucundis in omni societate familiari animadversionem communem in se convertere solebat, statim post bellum tam fortiter et prompte in conventum rediisse et etiam conditione sub multo respectu in peius mutata sine restrictione laboribus apostolicis se dedisse.

P. Pechazek, qui e 42 annis sacerdotii sui per 18 annos Rectoris munere fungebatur, secundo bello saeviente domui Oenipontanae praeerat. Quamquam

non omnes molestias persecutionis nazistae impedire poterat, tamen eius prudentiae et fortitudini contigit, ut plenam expulsionem et suppressionem evitaret et post cladem paganismi teutonici totam domum intra 12 horas Congregationi recuperaret. Ceterum confratres Patrem Pechazek recordantur tamquam Superiorem, qui aequo modo et religiosae observantiae et saluti, incolumitati, felicitati suorum studiosissimus semperque affabilis erat, qui sicut ipse parva vitae gaudia non aspernabatur, ea etiam confratribus parare delectabatur.

Viriliter tulit P. Pechazek crucem gravem sibi ultimo vitae biennio morbo cardiaco et iteratis parvis apoplexiis impositam. Ut infirmitatum molestiae arte medicorum et cura sororum mitigarentur, in nosocomio morabatur. Die 27 Nov. 1952 a matutinis exercitationibus corporalibus, quas medicus ei commendaverat, rediens debilitate subitanea tam infeliciter corruit, ut duplicem dextri brachii fracturam pateretur. Ob insufficientiam cordis impotens operationis chirurgicae subeundae, domi inter sodales mori cupiebat. Ibi igitur omni amore fraterno circumdatus, die 30 Dec. pie obdormivit.

Magnus numerus fidelium pluviam et nivem pro nihilo habentium ad coemeterium venit, et 31 sacerdotes ad tumulum voce forti *De profundis* decantaverunt. Caritas, quam defunctus durante vita seminavit, in morte magnam caritatem hominum, sicuti vidimus, et Dei, sicuti speramus, tamquam messem copiosam recepit.